

347.

Nobilissimo & Doctissimo Viro  
 Carolo Linnæo, Equiti  
 S. D.  
 Ioannes Burmannus.

Heri tuas accepi Litteras mihi gratissimas, ex quibus lætus intellexi, tuo inprimis favore & elogio me Nobiliss: Vestræ Societatis Regiæ Scientiar: upsaliens. socium esse creatum, pro quo singulari officio, ac summo honore tibi inprimis, reliquisque istius Nobiliss: Societatis membris summas ago habeoque gratias, meque haud indignum sodalem in posterum re ipsa præstare adnitar ac voveo. En tibi titulum ipsamque Wacchend: iconem quam inprimendam aliorum suasu curavi, quum putarem Acta vestra Suecica non continuari, vel saltem non omni anno inprimi, quum ab anno quinquagesimo tertio, si bene memini, non viderim ea continuata, licet apud varios inquisiverim Bibliopolas, qui post illum annum nulla acceperunt, sique in posterum, quum prodeant, velis inserere ipsis Wacchend: descriptionem vel integram vel contractam, rem mihi facies gratissimam, quodque eodem jure, si leges vestræ id non prohibeant, facere poteris, quo in Actis Naturæ Curiosorum totæ Dissertationes antea jam impressæ inseruntur, uti varia hujus rei vidi exempla in ultimo etiam tomo, qui præterito prodiit anno.

Speraveram [a] te mihi responsum fuisse datum de Hortulano, quem desideraveras, tibi que obtuleram qui vir mihi videbatur optimus ac peritissimus, sæpiusque meas ædes jam adiit, quum tam longum lapsum sit intervallum, ex quo tibi de eo ex tuo voto scripseram, quumque mihi nil de Hortulano rescribas, puto te jam alium obtinuisse, nec audebo istum virum diutius detinere, qui ergo alium sibi locum comparare tenebitur; doleo interim de eo mihi nil significasse, nec eum tibi vindicasse, quum putem esse virum optimæ conditionis & qualitatis.

Gratias tibi ago pro novis communicatis, nil tibi novi jam indicare scio, nisi quod Gronovius senior nuper Consulatum obtinuerit Leidensem, atque Hortulanus noster Horti Amstelod. matrimonium inibit, uti spero, cum filia Hortulani Harlemensis, quæ nitidissime & exactissime callet depingere plantas, ita ut, si novas observemus, illa ad manus sit, atque ex voto nostro eas delineare poterit.

Vellem per unicum modo diem te lustrare posse Paradisum meum bulbosum Capensem, qui varias mihi novasque suppeditat plantas, qualem nuper a Cunone amico nostro delineatum accepisti, de qua sententiam tuam avidissime exspecto.

Valeas Vir summe & amicissime, meque tuo favore & amore ulterius prosequere.

Dabam 22 Nov. 1757.